



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de

Lvgdvni, 1609

Bona Castrensia filiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

Hæc sæpe alia pro aliis sumuntur. Sunt maiora quàm bona pecuniæ. Sunt virtus moralis, nō intellectualis. Appetitus horum ordinatus, est bonus. Inordinatus autem malus & regulariter venialis, & mortalis quando est aliqua circumstantia talis. Idem dicendum de contēptu eorum inordinato, qui est venialis, sed mortalis quando contēnitur: laus de gratia Dei gratum faciente manans, aut vltimus finis ponitur in eo. num. 10.

Bona autem fortunæ sunt mobilia, vel immobilia. Modus acquirendi mobilia, per possessionem iustam, vocatur vsucapio. Modus autem acquirendi immobilia, dicitur præscriptio. Veruntamen sæpenumero vterque modus appellatur vsucapio, & exceptio quæ ex ea nascitur, dicitur præscriptio. cap. 17. num. 85.

BONA FILIORVM.

Castrensia, & quasi aduentitia & profectitia.

BONA Castrensia sunt illa qua filius ac- A
quisiuit in bello, sunt q; solius filij quoad
vsum fructum, & dominium, ita vt in iis pa-
ter nil habeat. cap. 17. num. 141.

F 4

Bonum

- Bonum quasi Castrense est, quod filius familias acquirat officio publico, & quod clerici officio suo clericali acquirunt, imò quælibet alia bona clericorum saltem acquisita post clericatum iure communi, sunt quasi Castrensia, in quibus pater non habet plus iuris, quàm in Castrensibus. num. 142.
- C Peculium aduentitium est non Castrense, nec quasi castrense, sed aliunde quàm à patre, & ex bonis eius, aut ob gratiam illius principaliter habitum: & in hoc proprietas est filij, & usufructus patris, nisi qui donauit filio, vetuerit ne patri crederetur usufructus. num. 143.
- D Peculium profectitium est peculium filij familias habitum à patre, vel eius causa, vel de bonis eius, nec ad bellum nec ad officia publica pertinens; & in hoc proprietas, & usufructus est patris. num. 144.
- E Peculium aliquando est mixtum, scilicet partim aduentitium, partim profectitium. cap. 17. nu. 144. vt filius aliquid ex bonis patris lucratur sua industria. nam quod eius labor meretur, est aduentitium; dummodo non teneatur alere patrē; & etiam expressè licet tacitè, protestetur, se eo animo seruire patri vt det sibi pro suo labore quantum daret extraneo. reliquum verò erit profectitium. ibid. & n. 161. ad quod merces debita suo

ta suo labori regulariter est dimidium eius quod lucri fecit. num. 161.

Libri, arma, & alia, vt fiant Castrenſia, vel quaſi caſtrenſia, requiritur, quòd tradantur filio viuente patre. num. 159. de quo plura tit. filius. lit. I.

*B O N A P A R A -
p h e r n a l i a .*

S V N T ea bona qua vxor ſibi reſeruat præter dorem, quam dedit marito. cap. 17. num. 153.

De bonis paraphernalibus poteſt vxor diſponere pro ſua voluntate, niſi obſtet conſuetudo, vel ſtatutum prouinciæ. num. 155. in No. num. 154.

*B V L L A I V B I L A E I,
& Bulla cœne, Cruciata.*

P E R Bullam concedentem facultatem abſoluendi à cenſuris, & pœnis, non poteſt Confefſarius abſoluere à pœna pecuniaria pro peccato à iudice impoſita, vel imponenda. Nam illa clauſula (à pœnis) ſolùm reſpicit illas pœnas, quæ impediunt abſolutionem à peccatis. cap. 27. num. 250. in Nouo num. 254.

F 5 Nec